DE
LUCRETIANA VERBORUM
FORMATIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA
PRO SUMMIS
IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
DIE X. M. JULII A. MDCCCLXV.
HORA XI.
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

REINOLDUS SCHUBERT,
SERVESTANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
W. KOERNER, STUD. PHIL.
C. ALSLEBEN, STUD. PHIL.

HALAE,
FORMIS PLOETZIANIS.
[1865]

GUILELMO SCHUBERT

PATRI OPTIMO.

Res accendent lumina rebus.
LUCRETIUS.

Haud dubium videtur esse quin scripturo de sermone Lucretiano primum quidem quaerendum sit, quantum antiqui poetae ad huius poetae genus dicendi valuerint. Etenim cum in universum appareat colorem antiquitatis toto in Lucretii carmine conspicuum ad antiquos poetas esse revocandum, tum vero certa verba vel potius quaedam verborum suffixa ex tragicis deprompta esse facile suspicamur. Velut, si paucis defungimur, tragici cum in deliciis haberent suffixa tudo, tas, antia, entia, quippe quae clausulas et sonos pleniores efficerent, Lucretius eos hac in re plane secutus est. Huc referenda sunt nomina scenici sermonis castitudo, geminitudo, gracilitudo, honestitudo, maestitudo, miseritudo; magnitas, angustitas; errantia, faventia: quibuscum conferimus a Lucretio novata, pestilitas, differitas, maximitas; variantia, retinentia, desipientia. Quae autem in tudo exeunt, ea adoptavit, non ipse finxit.

Nihilominus fateri cogimur levioris esse momenti, quae Lucretius e fontibus poetarum antiquorum derivavit: nam maiorem partem suo debuit ingenio. Quippe cum argumentum carminis elegisset magnificum atque amplum, quod in variis mundi humanaeque vitae quaestionibus versaretur, verborum quoque varietatem debuit eam assumere, quae rebus illis responderet. Qua in re quantopere patrii sermonis, quem didactici poetae nondum excoluerant, egestas impediverit, ipse haud raro deplorat, eamque ob causam Graecos aemulari maluit. Profecto mirari libet opes largissimas, quas Lucretius ex ingenii proprii thesauris deprompsit.

Sed non solum argumentum eum ad novam verborum fabricam impulit, sed commovit etiam numerorum ars et ratio hexametri versus. Nam prisci Romanorum poetae alias et numerorum et sermonis vias inierant, quam Ennius et illius stu-

diosissimus sectator Lucretius. Olim enim vocabulorum structura cum esset plane trochaica et iambica, lingua ipsa poetis suasit, ut quae metra cum illis verborum formis convenirent, ea prorsus tractarent. Id studium praeierant Livius Andronicus et Cnaeus Naevius etiam in epicis poematis. Sed illos mox obscuravit ingenium Quinti Ennii. Is enim primus cum versum hexametrum introduceret, omnino novam viam ingressus est et incredibilem rerum mutationem perfecit. Nam sermo Latinus quam propriam adhuc rationem tenuerat, ab ea plane deflexit ac tantum afuit ut conatus novus a quoquam reprehenderetur, ut potius omnium suffragiis approbaretur. Jam commutatione metri facta mox poetae novi intellexerunt linguam Latinam magis cum metro derelicto congruere quam cum Graeco atque dactylico. Quamvis igitur laterent in lingua Latina quaedam virtutes quae versus dactylici naturae responderent: nullius tamen industria perfecerat, ut illae vires si minus excolerentur, at in lucem proferrentur. Via tamen patefacta diligenter elaborabant, ut patriam linguam ad exemplar Graecorum expolirent. Horum ordinem duxit Ennius, quem praeter alios secutus est Lucretius.

Quorum operam et merita plures cum summis laudibus ornarent, contra reprehensor extitit Koenius, cuius liber de lingua epicorum Romanorum conscriptus non sine magna acerbitate rationes doctorum poetarum exagitat. Sed vehementer errasse videtur, qui linguam Latinam a poetis dactylicis contendat esse depravatam et inquinatam; quasi non sint gradus in carminibus componendis atque progressus dicendi, si quando novus metri numerus prodiit eoque valet, ut ad ipsius formam fabrica verborum et structura accommodetur. Quodsi lingua labitur et a pristino statu defluit, id tum accidit, cum qui eam tractant vi ingenii deficiant mentisque sollertia.

Koenium igitur ut impugnem haec etiam causa movet, quod Rudolfus Bouterwek, diligentissimus Quaestionum Lucretianarum scriptor, Koenium plane silentio praetermisit. Ipse tamen de commentis Koenii pauca delibabo, ita quidem, ut quae iure suo culpasse videtur, praemittam.

Monet igitur p. 36 Lucretium, ut versui sufficeret, deminutivis abusum esse pro simplicibus nullo significationis discrimine, velut annulus, annellum, annelli, annellis. Porro reprehensione dignum esse iudicat, quod Lucretius nomen Memmii, quod numeris interdum obest, diffinxit in Memmiaden; id autem commentum eodem laborare vitio quo Scipiades. rectius enim formandum fuisse Memmides ut Priamides.

Haec et alia quaedam monita leviora sunt, libentius tamen accipimus quam quae in sequentibus reprehendit.

Nam p. 56 improbat abrotonique graves 'IV, 124, quod genere vitiosum sit, cum graece dicatur solum *ἀβρότονον*. At id ipsum quod a Graeco sermone vox defluxit, generis mutatio satis excusatur. Eandem libertatem latius patere monstrat observatio Varronis apud Prisc. VII. p. 328. 'talia ex Graeco sumpta ex masculino in femininum transire et aliter ea finiri ὁ *κοχλίας* haec cochlea, ὁ *χάρτης* haec charta, ὁ *γαυσάπης* haec gausapa.' Addas *παρασάγγης* parasanga, *καταπέλτης* catapulta, *μαργαρίτης* margarita. Hinc sequitur ut Lucretium in leges linguae peccasse negemus.

Idem p. 60. perperam iudicat, ubi contractione genetivi ii in i, ut incendi pro incendii, vim inferri linguae censet. Sed satis est appellare Lachmannum qui in comm. p. 325 seq. quibus finibus illa terminatio contineatur, praeclare demonstravit. Quamquam quod totum versum V, 1004 propter genetivum ii delevit, ut ab interpolatione profectum, longius videtur processisse. Neque quod r a t i o n e m dici 'improbam' negat, concedimus viro doctissimo, cum Vergilius simili modo posuerit 'improbus anser' et 'improbus anguis.' Quamobrem Bergkii, praeceptoris doctissimi, emendationem in Philologo prolatam vehementer probo hanc:

'improba n a u p e g i ratio cum caeca iaceret.'

Accedunt allitterationis vestigia, quae Lucretii hunc esse versum persuadeant: allitterationem autem in artificiis et ornamentis orationis poeticae hic poeta studiose secutus est.

Sed redeamus ad Koenium. Is p. 124 'sanguen' I, 837 et 860 quod est 'sanguinem' contra linguae leges formatum

esse contendit. At dudum Ennius (ap. Non. III, 205 et ap. Cic. fin. V, 11; orat. III, 58) in poematis, deinde Cato (ap. Gell. III, 7) et Hortensius (ap. Prisc. VI, 708) in soluta oratione hanc formationem asciverant. Deinde, si voluit, potuit in altero loco I, 860 salvis metri rationibus scribere

'Scire licet nobis venas et sanguinem et ossa,'

praesertim cum cod. Leidensis exhibeat 'sanguin.' Praeterea comparamus v. iter, cuius vocis genetivus iteris et ablativus itere exstant apud Plautum et Terentium. —

P. 128 genetivus alituum II, 927 eandem in reprehensionem incidit, quasi haec distentio vocalium Vergilii approbatione non satis superque excusata sit. —

P. 177 vituperat tmesin in 'inque pediri III, 483, inque peditur VI, 393 his verbis: eo usque licentiae progreditur poeta tmesi Homerica male intellecta! — at quid? Nonne iam in legibus duodecim tabularum aut in carmine Saliari*) eadem tmesis reperitur? —

P. 217 pro verbo satietas vulgare illud horrideque mutilatum, vel certe a verbo satis non recte formatum 'satias' Lucretium posuisse V, 1389 et saepius. — Quasi sit 'satias' repetendum a 'satis' neque potius utrumque (ut item satur) redeat ad unam eandemque radicem. Porro autem dicendum est iam Attium ap. Non. II, 791 et ap. Cic. N. D. III, 38, Plautum Ps. I, 3, 100, Terentium Eun. V, 61; Hec. IV, 2, 18 hoc ipsum 'horride mutilatum' verbum usurpasse. Vel posteri, ut Lucilius ap. Non. l. c., Sallustius ap. Non. l. c., Livius XXX, 3, Tacitus Ann. VI, 38, Silius IV, 110 hac voce usi sunt. cf. saties apud Iuvencum bis. —

P. 233 reprehendit formationem endogredi IV, 318, endopediri IV, 68. Quasi iam obsoleta fuisset haec formatio 'endo' Lucretii aetate, quemadmodum postea fuit Iuvenalis tempore. — Sed ne longus sim, alia breviter complectar, ut 'pro compositis Lucretium male posuisse verba simplicia, ut

---

*) Conferas Theodorum Bergkium de 'carminum Saliar. reliquiis, Marb. 1847. —

temnunt, tuentur, plicari, plicantur cett.' — At quae reprehensio! Nonne poetis licet utraque forma uti pro arbitrio? Nonne flagitat subinde genus poesis, ut modo composita, modo simplex forma adhibeatur? — Denique ne ea quidem verba Koenio sufficiunt, quae a Cicerone et a Caesare adoptata esse ipse dixit, ut defectus, planities, servitium! Nimirum

'obliti sunt Romae loquier latina lingua.' —

II. Sed priusquam propius ad verba Lucretiana eorumque formationem illustrandam accedam, non alienum fuerit in universum de suffixis linguae latinae disserere, ita quidem ut pauca de praefixis praemittam. Sic enim tota verborum latinorum structura lineamentis extremis adumbrata, viam mihi faciam ad ea, quae exstant apud Lucretium, verba multo expeditiorem atque apertiorem. Exordiar igitur de praefixis et suffixis linguae latinae nonnulla disserere.

Dupliciter in quavis lingua natura atque indoles populi cerni potest et externa verborum structura et interna verborum connexione, sed si nobiscum reputamus, multo maiores facere drogressus linguam in interna verborum connexione, quam in externa vocum conformatione, quippe quae certo quodam tempore paene absoluta sit, cum in connexione verborum interna cultu atque eruditione increscente nova quaedam ab aliis gentibus in suum usum populus mutuari soleat: statuamus necesse est genuinam atque peculiarem populi naturam melius cognosci posse e verborum formatione atque structura. Atque idem fere in hominum recognitionem cadere videtur. Cum enim eorum animos semper conformari atque alios fieri, corpora vero multo magis sibi constare videas, amicos ex vultu ac facie multo facilius recognosces, quam si animi proprietates adhibere volueris. Sed ut omnis similitudo claudicat, sic, si verborum structuram cum hominum vultu comparaveris, haec fere nihil esse videatur nisi sermonis species externa, quod ut statuamus tantum abest, ut nullo pacto negari posse existimemus, cerni posse in formationibus quoque verborum populi ingenium artifex primamque fere eius operam in verborum structura esse collocatam.

Atque artifici illi populi ingenio in externis formationibus cognoscendo inserviat, quae sequitur dissertatio. Et cum praefixa et suffixa hac in re maxime valeant, haec ante omnia videntur esse respicienda, stirpes vero, utpote permultis inter sese cognatis gentibus communes, omittendae; ac primum quidem videtur esse disputandum

A) de praefixis.

Jam vero qua excellit Graeca lingua praefixorum copia, ea non aeque ornatus est sermo latinus, qui hic quoque indolem genuinam retinens aspernatur quasi ornamenta parum necessaria, quibus externa quidem species magis clarescit, interna autem natura obscuratur. Alia autem est (ut iam dixi) indoles linguae Graecae, cuius structura varietatem atque pulchritudinem exhibente formatio alterius linguae longe superatur. Quae quidem adeo non reiicit lenocinium eiusmodi ornamenti, ut libenter adhibeat. Ac talia praefixa habes in *ἐ-κεῖνος* (*κῆνος*), *ὄ-βριμος* (*βρίθω*), *ἀ-μέλγειν* (melken), *ἀ-Fάτα* (*ἄτα*), *ἰ-δνόω* (*δονέω*), *ἀ-σελγαίνειν* (*σελήνη*), *ἄσταχυς* (*στάχυς*) *ἄ-σταφις* (*σταφίς*) *ἄ-νηστις* (*νῆστις*), *ἀ-μείρομαι*, *ἀ-σφόδελος* (*σφόδελος*), *ὀ-φρύς*, *ὀ-τρύνω*, *ὀ-μίχλη*, *ὄ-νυξ*. Huc vero cave ne referas *ἅ-πας*, quod redit ad *ἅμα πᾶς*, neve *ὀνί-νη-μι*, neve *ἱ-στάναι* pro *σιστάναι*.

Quodsi ad linguam latinam animum advertimus, haec quamquam pro *ὄ-νομα* praebet n o m e n, pro *ἀ-νέψιος* nepos, pro *ἀ-μέλγειν* m u l g e r e, tamen verbis cum praefixis compositis non caret, velut e-nim (nam), a-trox (trux, truculentus), quo in verbo ex ignorantia huius praefixi sane in lingua latina perrari fuerunt qui cogitaverint de verbo a t e r. Deinde e-quidem (quidem), a-nas (*νησσα*), a-marus (mare?). A l a u d a vero gallicum est verbum neque ob id originem duxeris a v. l a u d a r e, nec magis a l a c e r huc referendum est, quia cohaeret cum graeco v. *ὠκύς*. Si vero de usu illius praefixi a-inquirimus, saepenumero accedere ad ea verba videmus, quae turpe quid iam per se significant (cf. a-trox), vel quibus notio negationis iam inhaeret: simili id quidem modo atque apud nos praefixum Un-saepe talibus

verbis praemittitur, qualia sunt Unkosten et Kosten, Ungeziefer et Geziefer, Unmenge et Menge, Unmasse et Masse, Unflat et Flat, Untiefe apud nonnullos scriptores eodem sensu, quo Tiefe. — Quod ad v. ἀθέσφατος apud Homerum et Hesiodum comparens attinet, huc id non pertinere iam a Buttmanno optime demonstratum est explicatumque secundum Hesychium ὅσον οὐδ᾽ ἂν θεὸς φατίσειεν; cui simillima locutio reperitur apud nostrates vulgaris illa quidem, attamen quae perbene graecum v. illustrat, nempe ‘unmenschenmoeglich’ uno verbo quod effutiunt homines de plebe, proprie unmoeglich (für) Menschen. — Jacobus Grimmius in myth. p. 944 verba fecit de voce Unfulo refertque ad fâlant et Phol, ita ut Un — ob id tantummodo praefixum esse videatur, ‘quo turpitudo nominis externa quoque specie conspicua sit’.

Sed sunt etiam alia, quae ne confundas cum his praefixis, probe caveas. Praefixa enim cum semper careant significatione propria tantumque ornamento sint, cui affiguntur verbo, sensus autem proprius insit in vocula ve, ut in vesanus, vecors, vemens cett., eam huc non pertinere censendum est. Sed sane egent adhuc explicatione atque dilucidatione compositiones cum ve-factae, si quidem omnes omnino cogere velis in unum. Neque apud veteres grammaticos exstat ullum adiumentum, nisi forte in eo, quod Festus ait sub v. vescus: ‘ve- pro pusillo utebantur’ asquiescere velis. Cui quidem accedit aliud Gellii testimonium, sed tantum abest ut difficultates explicationis dilabantur, ut augeantur interpretatione, quam ille proposuit, cum duplicem vim huic voculae et minuendi et augendi tribuerit, huius tamen assertionis nullum exemplum attulerit. Quodsi Bentleius ad Horat. sat. I, 2, 129. Gellii illud (sophisticis de causis, ut ait Reisigius) addubitat, quod fieri non possit, ut vocula ve-duas easque plane diversas significationes contineat: suo iure is quidem nullam notionis ad ve- accedentis (hoc loco notionis ‘pallidus’) rationem haberi voluit, sed parum respexisse videtur opiniones hominum seriorum, licet falsae sint, saepenumero veras verborum significationes commutare. Cuius rei argumentum sit v. sudus i. e. siccus, quia

compositum est ex se et udus, ut veteribus quidem constabat, recentiores vero, vel ii, qui de conglutinatione illa non cogitaverunt, verba sudus et sudor ab eadem radice derivanda esse atque hanc ob causam v. sudus humidi notionem habere censuerunt. — Similiter vero comparatum est verbum vescus, quod Festus rectissime explicat: 'fastidiosus' (nostrum ekel, kiesaete), 've-enim pro pusillo utebantur'; deinde pergit: 'Lucretius vescum dixit e d a c e m, cum ait: nec mare, quae impendent vesco sale saxa peresa'. Edax autem cum significatione contrarium sit verbo fastidiosus, statuendum est Lucretium vocis vescus originem duxisse a v. vesci indeque hanc significationem sibi comparasse, quae ex ipsa coniunctione verborum v e s c o sale saxa p e r e s a (von zehrendem Salze zerfressen) coniicitur.

Sed revertamur, unde deflexímus, ad voculam ve-, cuius quidem significationem ex Festi additamento 'pro pusillo utebantur' agnovimus, eademque cum explicatione conveniunt verba v e s a n u s, v e m e n s, v e c o r s, v e s c u s, neque discrepat v. v e g r a n d i s quamvis Festus p. 372 duas atque diversas significationes demonstrare conetur. Unum autem nullo modo quadrat in hunc sensum, quem Festus attulit: Horatianum illud v e p a l l i d u s, dico, ex analogia enim vertendum est 'gar nicht bleich', cum sensus efflagitet, ut vertas 'sehr bleich'. Quid? Horatiumne contra analogiae leges egisse existimabimus? Certe vix ulla ex hac difficultate extat via evadendi. —

Quae si colligas in unum, dicendum est: quaecunque verba incipiant a vocula ve-, ea secernenda esse a formationibus cum praefixis factis neque in verbo vescus cogitari licere de praefixo quodam v-, vel de digammate, ita ut conferendum sit cum v. esca, sed voculam vesua atque propria exstare significatione. — Sed ut ad alia transeamus, iam agatur de syllaba va-, quaenam sit eius vis ac natura. Ac quantum ego quidem scio, nusquam alias reperitur, nisi in v. vacerra et vacerrosus, quod Augustum praetulisse verbo cerritus Suetonius auctor est in Aug. c. 87. Inde autem sequitur, ut va- habeamus praefixum, germanum praefixum, voci pro ornamento additum: namque signi-

ficatio verbi, sive addidisti, sive omisisti illud va-, eadem est, nisi forte v. cerrosus redire ad cerebrosus, ut item cerritus ad cerebritus, negabis. Sed destituti cum simus aliis exemplis, quibus nixi praefixum va-esse credamus: potius existimandum erit hanc syllabam va-sua atque propria significatione extare, quamvis coniectura tantum ea reperiri possit. Forsitan Augustus vesanum vocare nomine cerebrosi-cerrosi, aut cerebriti-cerriti, quippe quae verba proprie contineant notionem persani, habuerit talem irrisionem, qualis vel perspicuitetem orationis obscuret sensumque melius se aequare existimaverit, si praefigat syllabam, qua inopia vel vacuitas eius, quae sequatur, notionis significetur. Ceterum aliorum sit iudicare, utrum hoc va-cum radice, quae cernitur in v. va-care, cohaereat, necne. — Denique pauca mihi liceat afferre de v. valvoli. Festus s. v. ait haec. 'Faliae folliculi appellati sunt, quasi vallivoli, quia vallo facti (M. e conj. fabuli) excutiantur'. Sed ego quidem ut hoc verbum referam ad vallus et volare, non possum adduci, neque sententiam aliorum hanc vocem deminutivum verbi valvae habentium probaverim. Satius enim esse duxerim hoc verbum derivari a. v. alvus, quod Attium genere masculino posuisse constat. Maxime vero facit ad hanc coniecturam commendandam, quod simillima formatio potest in comparationem vocari: utriculi.

Sed haec hactenus de praefixis. —

B) de suffixis.

Deinde ex proposito nostro ad suffixa linguae latinae accedamus. Ac primum quidem quam in praefixis sumus conquesti inopiam et raritatem, eam non aeque in suffixis inveniri, immo summam eorum copiam esse atque varietatem dicendum est. Deinde praemonendum, nequis exspectare velit, de radicibus et suffixis ipsis, i. e. de eorum natura, hic disputatum iri, quae res, dubito num ad finem usque perduci possit, sed subtilissimi certe eget ingenii acumine. Nos igitur potius his omissis suffixa ut ita dicam materiam esse lapidesque fingamus, quibus cum radicibus coniunctis verba exstructa

esse videamus, quibusque pro arbitrio uti possit, si quis novo modo verba conformare animum inducat. Quod cum pro arbitrio hac in re agi statuimus, Georgii Curtii, viri de linguarum studio meritissimi, sententiam sequimur, qui (in libello, qui inscribitur Die Sprachvergleichung in ihrem Verhältn. zur klass. Philol. ed. alt. p. 19): Es lässt sich, inquit, an der Reihe der wichtigsten zur Bildung einfacher Nomina verwandten Suffixa nachweisen, dass es besondere Suffixa für die Kategorie der nomina agentis, actionis, instrumenti, abstracta cett. von vornherein nicht gab, dass vielmehr alle ursprünglich wesentlich demselben Zwecke, naeml. der Auspraegung der Nomina dienten*), und dass erst allmählich in die hervorbrechende Fülle der Formen der feinere Sprachsinn spaeterer Zeiten — verschiedene Bedeutungen hineintrug. —

Linguam igitur prioribus temporibus rudem nec excultam nobis fingamus necesse est, quam cum populus ipse usu cotidiano, tum scriptores et prosaici et poetae conformaverint atque expolierint, ita ut maiorem in dies pulchritudinem praeclarioremque prae se ferret speciem. Sed profecto ne de unaquaque lingua me hoc valere velle putes neve de qualibet aetate. Sero enim si cultus ille atque expolitio ad linguam adhibetur, facile fit, ut tota vita atque vis ipsius linguae iam exhausta sit, quod Oscis et Umbris accidisse videmus, quod quidem Romani quoque, nisi suo tempore subvenissent, passuri fuissent. Inerat autem in eorum lingua tanta vis vigorque, ut facillime quaelibet suffixa sibi adnecteret eaque arctissime cum radicibus conglutinaret neque pateretur, ut structura vocis utpote infirmis fundamentis innixa corrueret. Quae cum esset

*) Cf. pavo et pavus (Enn. ap. Charis.), auctummus et auctummum (Varro ap. Non.). — Hilarus (ἱλαρόσ) et hilaris, inermus et inermis, imberbis et imberbus (Lucil. et Varro ap. Non.), imbecillis et imbecillus, infrenis et infrenus, enervus et enervis, inanimus et inanimis, exanimus et exanimis, biiugus et biiugis. — cf. etiam Quintil. lib. I, 9 init.: 'sola est, quae notari possit velut vocalitas, quae εὐφωνία dicitur, cuius in eo delectus est, ut inter duo, quae idem significant ac tantundem valent, quod melius sonat, malis'. —

linguae latinae natura, quominus ad summum usque pulchritudinis exemplar excoleretur, nihil impedivit. Inesse autem id putabant Latini quam maxime in vi atque gravitate. Quem ad finem externa specie linguam exornarunt volueruntque ponderose eam sonare, non molliter defluere *). Cum autem vim et pompam imprimis suffixa efficerent, factum est, ut Latini quam plurimis suffixis linguam exornare studerent suffixaque vocali carentia postea saepe ita mutarent, ut vocalem adderent vocemque sibi redderent magis sonoram. Sic extant

nubs (Liv. Andr.) et nubes; nubis (Plaut.)
urbs et orbis (cf. Varro de l. l. p. 56).
plebs et plebes
scrobs et scrobis
trabs et trabes

frux et frugis, cf. Varro p. 222: 'nam et frugi rectus est natura frux, at secundum consuetudinem dicimus ut haec avis, haec ovis, sic haec frugi'. —

Conferas etiam lux et lucus
gens et genus. —

Atque adeo suffixa per se quidem consummata nova clausula exstruxerunt, ut puer et puerus,

socer et socrus (socerus [Plaut.])
uter (Caecil.) et uterus (Non) 188, 15)
famul (Lucr.) et famulus
animal et animale (Lucr. I, 228).
tribunal et tribunale
capital et capitale (Char. I. p. 95)
lac et lacte (Cato, Valgius, Verrius, Trogus apud Charis.)
ira et iracundia
vesper et vespera
lamenta (Pacuv.) et lamentatio

---

*) Huc spectat Senecae illud (ep. 40): 'Romanus sermo magis se circumspicit et aestimat et praebet aestimandum'. cf. etiam quae Godofredus Bernhardy dixit hist. litt. lat. p. XXVI ed. III.

impes (Lucr.) et impetus
fors et fortuna
necessis et necessitas (cf. infra s. v. necessum).

Idem agnoveris in Graecis verbis, quae eadem forma pronuntiare repudiarunt. Dixerunt igitur

pro πανθήρ — panthera,
- κρατήρ — cratera,
- στατήρ — statera,
- chlamys — chlamyda,

quae accusativos habet Reisigius, grammaticus acutissimus, sed num idem iuvicaverint vel potius opinati sint ipsi Romani vehementer dubito. —

Inter adiectiva vero extant:

acer et acris (pro aceris) masc. ap. Enn. (Prisc. 647 P.) acrus apud posteriores.
mas et masculus et masculinus.
mugil et mugilis.
facul et difficul (Varro ap. Non.) et facile, difficile.
exos (Lucr. III, 721) et exossis, exossus.
curio (Plaut. Aul.) et curiosus.
impos (Plaut. Trin.) et impotens.
praecox et praecoquis et praecoquus.
vetus et vetustus. —

Inter adverbia

sat et satis.

Nihil utpote suffixo vacuum antiquitatem olet, contra nimirum novam prodit originem. —

Inter praepositiones

uls (Varro) et ultra
cis et citra*). —

Porro alia ita renovarunt, ut longiorem formationem nullo paene significationis discrimine efficerent. Sic extant,

fides ei fiducia

---

*) cf. ex nostra lingua, quae antiquitus restant ut ʻheim (Germersheim) et heimat, Wort (Kaiserswort in urbe Gosslar) et Werder. —

fides et fidelitas
arbor et arbustum (Lucr. et Vergilius)
latus et lateramen (Lucr. vid. infra)
turpedo (Lucr. III, 1007, et VI, 25) et turpitudo
ravis et raucitas (Festus p. 275: 'ravim antiqui dicebant pro raucitate'.)
nix et ninguis
cupido et cupiditas
cf. ὦμὸς et umerus

Huc referas, quae novata sunt feminina ut
hospes (fem.) et hospita
antistes „ et antistita
cliens „ et clienta (Ennius ap. Non.). –

Inter adiectiva extant
frugi et frugalis (cf. Quint. I, 9 med., qui nimiam quorundam diligentiam, qua frugalis dicere malunt, quam frugi — 'nam quo alio modo fiat frugalitas!' — perstringit. —
insolus (Afran. ap. Non.) et insolitus
incurie (Naevius ap. N.) et iniuriose
bellosus (Caelius ap. N.) et bellicosus
copis (Plaut. Pseud.) et copiosus.
supervacuus et supervacaneus, cf. Fest. p. 293, ubi Verrii distinctio non probatur.
tenebrosus et tenebricosus (Catull.)
ebrius et ebriacus (Laber. ap. Non.).
reses et residuus (Fest. p. 281).
squalus (Enn. ap. Non.) et squalidus. —

Ex iis igitur quae modo exposuimus apparet linguam latinam studiosissime uti suffixis, quibus cum externa verborum species quam maxime sit consummata atque praestans, tum vero sensus quam maxime diversi exprimantur: velut uxor, uxorcula, uxorius, quae vox vel compositi graeci verbi γυναικο-μανὴς sensum complectitur. Cadit eodem Horatianum 'duplicis-Ulixei' c. I, 6, 7 quocum conferas graecum δίγλωττος et quae sunt alia eius modi. Latini enim permulta ipsis suffixis exprimere coguntur, quae quidem magis dilucide Graeci,

cum multo flexibilior eorum sit lingua, efficiunt compositis: id quod saepius obliti sunt, qui origini verborum investigandae operam dederunt. Quoties enim, ubi nihil erat nisi suffixo amplificata radix, composita esse putabant, ut in praepositionibus, quibus nescio qua causa non raro denegarunt nova verba efficiendi facultatem. Sic mera praepositio suffixo aucta inest in v. obiter, quod manifeste eadem ratione pertinet ad ob, qua circiter ad circa, praeter ad prae, propter ad prope, subter ad sub: qua de re disseruit Haase, vir clarissimus, ad Reisigii gr. p. 204. Quorsum spectat etiam v. accipiter, quod Jacobus Grimmius (hist. lingu. germ.) rettulit ad accipio, ut nostrum habicht, proprie habech redeat ad haben. Quamquam analogia non tantam habet auctoritatem, ut in verbo arbiter quoque suffixum-iter inesse contendamus, cum iam a Varrone de etymologia huius vocis certiores facti simus, qua redit ad v. bitere et praepositionem ar i. e. ad.

Neque minus cavendum est, ne v. induo pro simplici habeas: nam species te inducere non debet, ut ex analogia verbi exuo cogites de praepositionibus ʽindu'- et ʽex'- suffixis verbalibus auctis. Immo vero composita sunt referendaque ad v. *δύω*. Paulus enim ex Festo servavit ʽexdutae exuviae', qua explicatione demonstratur litteram d temporum decursu ex verbo exuo' excidisse. —

Sed ut ad id, unde deflex imus, regrediamur, ante omnia cavendum est, ne in lingua latina nimium tribuas compositis, cum vel in Graeca saepe hac in re peccatum sit. —

III. His quantum fieri potuit de lingua latina generatim expositis, ad Lucretium praevertamur. Etenim quaestio nobis est proposita, utrum illius elocutio linguae legibus conveniat an novitias vias ingressa male novaverit. Ac primum quidem quod Varro initio libri VII de lingua latina conqueritur, verba a poetis posita non raro perobscura atque longinquitate usus ita attrita esse, ut quae habeant *ἔτυμα* difficile sit dictu: id in Lucretium eiusque poema non cadit. Nam etiamsi sunt, quae ʽrepens ruina' operuerit verba, tamen maximam partem sensu quidem extant clara et dilucida, neque est quod in iis

non intellegas. Tuo autem iure haesitaveris saepenumero in eorum formatione, quippe quae sit nova neque semper cum ceterorum scriptorum usu atque ratione dicendi conspiret. Inopiam enim patrii sermonis Lucretius cum vehementer deploraret, praesertim in tanto tamque amplo argumento, facere non potuit quin pro virili parte inopiam istam restitueret damnumque istud resarciret. Qua in re facile intellegas eum linguae latinae proprietatem, suffixa capessendi, probe agnovisse suoque iure retinuisse. Suffixorum enim copiam habuit fontem, unde pro arbitrio quovis tempore, quae sibi usui essent, depromeret; cf. supra quae dixit Georg. Curtius, it Plinii Secundi hac de re iudicium huc pertinet, quod servavit Servius ad Verg. Aen. IX, 706: 'derivationes firmas non habent regulas, sed exeunt prout auctoribus placet'. Quamquam vix aliquis eum arguere potuerit naturam diversorum suffixorum neglexisse atque omisisse. Nisi forte quis opinetur in analogia, quam est secutus, rationem non inesse neque quodammode normam *). Illis autem satis habemus Varronis respondisse verbis, qui in libro IX, d. l. l. cum alia hac de re copiosissime dixit, tum ista: 'qui negant, inquit, esse rationem analogiae, non vident naturam non solum orationis, sed etiam mundi; qui autem vident et sequi negant oportere, pugnant contra naturam, non contra analogiam'.

Quodsi rogatur, qua ex parte oporteat simile esse verbum, respondendum nobis est Varronem secutis ex genere. Nam cum omnis natura sit aut masculina aut feminina aut neutra, in verborum quoque usu atque formatione ea genera discriminaveris. Secundum hanc autem analogiam Lucretium verba novasse nunc demonstrabo atque ea, quae ei soli vindicanda sunt, asterisco superposito notabo. —

A) Substantiva:

I, *masculinum* genus ascivit maxime iis substantivis, quae e 'verbis' derivavit vel in participiorum similitudinem finxit id-

---

*) Qua de re conferas, quae ait Quintilianus I, 9 med.: 'rationem praestat praecipue analogia, nonnumquam et etymologia.' —

que fecit haud dubie ob eam causam, quia actio verbi optime hoc genere utpote firmo repraesentatur. Sic exstant *auxiliatus V, 1040: (auxilium), contra breviorem formam, ubi exspectaveris longiorem, posuit VI, 1263: 'exossato ciet omni pectore fluctus', sensu fluctuationum. — Linctus VI, 971, si Lachmanni coniecturam sequeris, quae tamen non e connexu sententiarum prodiisse mihi videtur. Nam quod L. dixit: 'capellis enim quid magis proprium est linctu?' — sane negari nequit neque de verbo linctus, quod bis exstat ap. Plinium dubitationes feceris: sed unus quisque exspectabit sententiam hanc: gleichsam als wenn eine Götterspeise herausflösse. Qui sensus si oblongi quoque scripturam 'et nectar et intus' observes, nulla alia ratione exprimi posse videtur, nisi si scribitur: effluat ambrosiae quasi vere et nectaris unctus.*) Verbum 'unctus' autem vere lucretianum est, vid. quae iam enumerabo verba. Itaque nihil contra hanc vocem 'unctus' probatur, si Horatiana afferuntur 'unctum recte ponere', vel Persiana 'coenare sine uncto', quasi Lucretio quoque 'unctum' dicendum fuisset. Nam qui post Lucretium fuerunt poetae, ii non masculinum participii, sed neutrum adiectivi in locum substantivi sumebant. Denique quod attinet ad scripturam codd. oblongi, Lachmannus ipse copiosissime de hac complosione litterarum egit p. 254 attulitque script. obl. VI, 88: quo patto et II, 202 cunta; quadrati V, 262 santa. — *Mactatus I, 99: mactatio Arnob. et Isid., occisio. — Nixus saepius, praeterea Cic. d. n. d. 2, 46 et Quint. 8, 4 med. — *Opinatus IV, 465: opinio. — Petitus III, 173 cupido humi decumbendi, idem quod 'lapsus'; sed Gellius XVIII, 3 usurpavit hanc vocem sensu v. desiderium, rogatus. — *Summatus V, 1142: cf. principatus. Composita sunt, adauctus II, 1122: Sol. 23 extr. — *Adhaesus III, 381: IV, 1242: adhaesio Cic. fin. 1, 6, 19, M. — Adiectus I, 689, IV, 673 — (adiectio, ἐπιβολή)

---

*) Sed video Bergkium in Jahnii ann. 1861 scripsisse 'affluat ambrosiae quasi viro et nectaris intus quo nil est homini, quod amariu' frondeat aeque'.

Vitr. 9 ultr. — *Commutatus I, 795: commutatio. — *Conciliatus I, 576, II, 99, 133, 936: conciliatio. — Concussus VI, 290, 547. Concussio. Plin. 35, 16, 55. — Conlectus IV, 414. Collectio σνλλογή. Frontin. de limit. p. 43 Goes. — Contemptus III, 65, V, 1276 passive. Contemptio. Passive etiam Livius, active Quintil. et Tacitus. — Coactus II, 273, Cicero bis, semel Caesar. Verbum coactio ob id reiecisse videtur, quia certo sensu iam exstabat, ut supra vidimus petitus eum praetulisse voci petitio, quippe cuius vulgaris notio iam a propria significatione petendi recesserat. — *Coortus II, 1106, VI, 672. — *Disiectus III, 928. — *Eiectus IV, 960. — *Emissus IV, 205: missio. — *Initus I, 14: i. q. initium, plane ex analogia verborum reditus, exitus obitus, aditus. — *Intactus I, 454: sed cf. Lachm. comm. p. 40. — Offensus quinquies, cf. Tertull. adv. Marc. 4, 39, Stat. Theb. 12, 283. Offensio ἀντικοπή. — Oppressus I, 851 active. Sidon. ep. 9, 11. Oppressio. — Proiectus III, 987 active. Plin. 17, 11, 19. Proiectio. — *Refutatus III, 525: i. q. refutatio. — *Subortus V, 303. — *Transpectus IV, 273, cf. aspectus cett. — Participiorum formationem redolent verba: *Exesor (qui exedit) IV, 221, VI, 926. — *Aedituens VI, 1275: 'hospitibus loca quae complerant aedituentes'. Exstant etiam aeditumus sive aeditimus, quibus de verbis quae habuit O. Mueller: aeditumum sive aeditimum priscum et vere latinum fuisse vocabulum, aedituum, quod compositum simulat, novitia consuetudine introductum ostendit Varro ap. Gell. 12, 10 et d. r. r. 1, 2 —' ego quidem vehementer probo. Nam animum inducere nequeo, ut 'aedituus' ad aedes et tueor referam. Lucretius autem ne ita quidem formatam vocem retinuit, sed cum perpiscuitatem sensus magis etiam apparere vellet: finxit 'aedituens'. Nam rectissime sane sese habuit 'aeditimus' cum in analogiam verborum finitimus, legitimus esset formata, sed notio personae, quae iam in verbo aedituus melius apparere visa est, optime demum eluxit in Lucretiano 'aedituens'. Quo quamvis suffixo poeta proxime accedat ad v. tueor: species tantummodo est

externa. Nam simile habes suffixum in verbo petulans; cuius in loco posuit Lucretius petulcus II, 368. — Circumcaesura, compositura, dispositura, variantia, retinentia: quibus de verbis infra dicendi erit locus. —

II, *femininum* genus adhibuit ad ea substantiva, quae vel iam alio suffixo feminino exstabant, vel quorum notio mollitiem quandam habet inhaerentem. Sic exstant: *amicities V, 1019: 'tunc et amicitiem coeperunt iungere aventes', amicitia: cf. Charis. I, p. 94: Plinius Secundus sermonis dubii libro VI planities inquit, luxuries, mollities et similia veteri dignitate. Ceterum rationis via debet amicitia dici. — *Luella III, 1015: (cf. lues). — *Pestilitas VI, 1097, 1124, 1131: cf. pestilentia. — *Variantia I, 653, III, 318: varietas. — Composita exstant haec. — *Circumcaesura III, 219: cf. circumcisio. — Compositura IV, 329, compositio, quod per syncopen 'compostura' iam Cato RR. 22. Praeterea Sinn. Cap. ap. Gell. 5, 20. — *Dispositura V, 1092: cf. dispositio. — *Contages III, 734, IV, 337, VI, 279, 1242: cf. contagio. — Differitas IV, 640, bis Arnobius, cf. differentia. —

III, *neutrum* genus adhibuit ad res eaque substantiva, quae immutabile quid rigidumque significant. Sic extant: *haustrum (ἀντλίον) V, 516: 'ut fluvios versare rotas atque austra videmus'. Nonius 13, 5 ait, haustra esse cados, h. e. situlas in machinae genere rotam habente, quibus aqua hauritur. Sed hanc vocem componas necesse est cum verbo girgillus, ut utrumque inde clarescat. Girgillus autem est secundum Is. or. 20, 15: lignum in transversa pertica mobile, ex quo funis cum situla vel utre in puteum demittitur hauriendae aquae causa. Iam vero v. girgillus, utpote cuius notio proprie pertinet ad machinam quandam, confunditur non raro cum notione verbi hauritorium, quod idem cadit in v. haustrum, utpote a Lucretio ipso cum verbo rota (girgillus) coniunctum. — Praeterea hanc vocem habet Vitruv. 10, 9. — *Insile V, 1353: 'insilia ac fusi, radii scapique sonantes'. De hac voce multa alucinati sunt. Schneiderus autem (in indice ad script. R. R. p. 376 sq.) recte putat esse liciatorium, perticam scilicet licia annexa ge-

rentem, quae in tela plana scamillis sursum deorsumque calcatis trahitur simulque filorum strata gemina alternat, dum radius tramae insertus subtemen inmittit. — Vocantur autem insilia ab insiliendo. — *Lavabrum VI, 799: cf. lavatio apud Ciceronem, al. — *Necessum II, 289: 'sed ne mens ipsa necessum intestinum habeat cunctis in rebus agendis'. cf. Lachm. comm. p. 396, qui affert Donatum haec. ad Ter. Eun. V, 5, 28 habentem: 'necessus est nomen: nam necessus et necesse, necessis et necessitas et necessum lectum est'. Sic variabant formationes unius eiusdemque vocis. —

Sed aliae etiam rationes non raro praevalent, cur hoc vel illud genus sumatur. Nam, ut Varronis verbis utar (libr. IX, d. l. l.), constat, 'similia non solum a facie dici, sed etiam ab aliqua coniuncta vi et potestate, quae et oculis et auribus latere soleant.' Vel quod alio loco dixit: in hisce omnibus similutudines non sumimus tantum a figura, sed etiam aliunde'. A facie enim similitudinem sumptam luculenter vides in verbis *summatus, maximitas II, 495 (Arnobius semel), *retinentia III, 675, *desipientia II, 499, dummodo recorderis verborum principatus, sublimitas, magnitas (apud Attium secundum Non.), continentia, sapientia. Sed aliunde quoque causa tibi petenda est, cur hac vel illa ratione Lucretius verba formaverit. Sic masculinam formationem praetulit femininae in v. *aegror VII, 1131 et *stringor III, 693 non tam, quia cogitaverit de 'rigor, labor cett.', sed quia notio roboris atque severitatis in suffixo — or inesse putabatur, congrua ea quidem quam maxime cum significatione ipsorum verborum (cf. quae G. Bernhardy, praeceptor doctissimus, de 'marcor, languor, algor, canor' dixerit in hist. l. r. p. 32 ed. III, 1857). —

Sic *summatus finxit in analogiam verbi principatus: sed inest etiam in suffixo — atus quiddam antiquum et ponderosum (cf. 'aedilitatus' ap. Paulum Diaconum, cuius in loco postea dixerunt 'aedilis'), ita ut iam externa vocis specie interna eius notio optime iltustretur. — Neque minus abundantia et varietas suffixorum vel unius eiusdemque verbi cernitur

in formationibus cum — mentum factis. Nam et breviorem formam usurpavit et longiorem pro arbitrio. Habuit enim imprimis illa suffixa pro ornamento, quo verba modo affecit, modo privavit, sicuti hanc illamve vestem indueris. Atqui pro argumento suo brevioribus formis crebrius usus est, quam longioribus. Sic pro ‘augmentum’ dixit augmen (αὔξησις) saepius (Arnob. VII, p. 249), pro ‘documentum’ *documen VI, 392; pro ‘duramentum’ *duramen VI, 530 pro ‘momentum’ momen III, 189, VI, 473 (Manil. 3, 675; Arnob. 2, 77). Quorum verborum in similitudinem affinxit alia, ut *adaugmen VI, 613; clinamen II, 292. — *Frustramen IV, 818: cf. frustratio. — Glomeramen II, 454, 686, V, 725: semel Seren. Sammon. 55. — *Lateramen VI, 233 ‘conlaxat rareque facit lateramina vasis’; miror explicationem Georgis in lex. s. v. datam: ‘etwas aus Ziegeln verfertigtes: lateramina vasis —’, quasi lateramen originem ducat a later, neque a latus: sed de opere latericio cogitandum non est, immo compares ‘lateralia’ referasque utrumque ad v. latus-eris, eodem iure, quo glomeramen ad glomus-eris. — *Vexamen V, 340 (cf. vexatio); vocamen II, 66 (cf. vocatio), Arnobius IV, 128, VII, 251. Solin. 5. med. —

B) Adiectiva.

Cum quam rationem secutus sit in formatione substantivorum, scilicet liberum sibi concedendi suffixorum usum, eandem retineat necesse sit in adiectivis, paucis rem absolvere possumus. Atque adiectivorum formationes intuenti nullo negotio intelligitur, Lucretium multum esse in usu adiectivorum a ‘verbis’ formatorum (cf. substantiva, quae supra enumeravimus eadem ab origine ducta) atque suffixa-ilis, alis, bilis haberi in deliciis.

a) Ex verbis formata, primum quae exeunt in-ilis: *Sensilis II, 888 (cf. 893, 895, 902). — *Tactilis V, 151: et composita: *Diffusilis V, 467. — *Insensilis II, 866, 870, 888. — *Intactilis I, 438.

Deinde quae exeunt in-alis: Exitialis VI, 566 ὀλέθριος,

Cic. Verr. 2, 5, 6 (idem exitiabilis et exitiosus) Vergilius semel, Plin. 10, 72, 93. — *Principialis II, 423: cf. principalis; item *alsius ap. Lucret. et graece φίλος-φίλιος, ἐλεύθερος-ἐλευθέριος. — Tonitralis I, 1105: sed Lachm. exhibuit 'penetralia'. cf. tonitrualis ap. Tert. de mundo: dicitur (Juppiter) et fulgurator et tonitrualis et fulminator. — Et *compositum* *innumerabilis II, 1086.

Tum quae exeunt in -bilis: Aerumnabilis VI, 1230, Appul. Met. I, 1, 8, cf. aerumnosus. — Aversabilis VI, 984 semel Arn. 7, p. 249. — *Mactabilis VI, 805. — *Manabilis I, 535 et *compositum*: inviolabilis V, 306. Sil. 16, 16. Tac. A. 3, 62. Inviolabiliter ap. Marcellin. et Faustin. cf. inviolatus. —

Nemo has formationes posthabere poterit Ciceronianis: praestabilis, vendibilis, detestabilis, plausibilis, formidabilis. memorabilis, vituperabilis, congregabilis, quod Reisigius confert cum Schilleri 'leichtgesellig'; comprehensibilis, aspectabilis (i. q. visibilis ap. poster.). Sed Latinorum fuit, ne arctos quidem fines in sermone transire, ita ut raro quae novaverat hic illeve scriptor in suum usum converterent usuque mollire conarentur: quod deplorat atque reprehendit Quintilianus l. 8 c. 3 med. his verbis: 'nostri autem in iungendo aut derivando paulum aliquid ausi, vix in hoc satis recipiuntur'. Et paulo post idem respectu habito verborum ens et essentia aliorumque a Cicerone al. novatorum: 'quae cur tantopere aspernemur nihil video, nisi quod iniqui iudices adversus nos sumus ideoque paupertate sermonis laboramus'. — Praeterea quod exit in -ens: *inolens II, 850 ἄνοδμος, cf. olens ap. Plautum, Ovid., Vergil. inodorus Pers. 6, 35: urnae ossa inodora dabit, et Appuleius Met. 4. —

Praeterea exstant non paucae voces cum suffixis verbalibus eae quidem formatae, sed in modum adiectivorum tractatae. Tales sunt cunctantior III, 193: de hominibus est apud. Plin. ep. 8, 13, 6; Suet. Caes. 60. — *Dominantior IV, 397, VI, 238. — Superantior V, 394 (superantissimus Solin. 2 med.). — Contractior V, 570 saepius reperitur. — *Distractior IV, 961 (distractissimus Vellej. II, 141, 1). —

*Divisior IV, 961: conf. cum his adiectivis verbal. 'repulsior' ap. Festum: 'secunda conlatione dixit Cato: 'ecquis incultior, religiosior, desertior, publicis negotis repulsior'? Et 'ratissima', quod idem in Q. M. Thermum 'erga rem publicam multa beneficia ratissima atque gratissima'.

b) E substantivis formata: *creteus IV, 298: ex anal. verborum ferreus, aureus, cett. — *Labiosus IV, 1169: ex annal. verborum animosus, aquosus cett. —

c) Ad adiectiva iam formata novas formationes addidit. — *Innubilus III, 21, cf. nubilus. — *Inolens II, 850, cf. olens. — *Loquaculus IV, 1165: cf. loquax et dicaculus ap. Plaut. et App. — *Multesimus VI, 652: ex multis unus, ut millesimus i. q. unus e mille cf. πολλοστημόριος et Non. 136, 13. — *Perdelirus I, 692, cf. delirus. —

d) Restat ut ea adiectiva recenseam, quae composita sunt e duobus verbis. sic exstant

α) Substantiva cum substantivis: *anguimanus II, 538, V, 1302. — Capripes IV, 582 semel Hor. c. 2, 19, 4 et Propert. 3, 15, 34. — *Lauricomus VI, 152.

β) Adiectivum cum substantivo: *Levisomnus V, 862.

γ) Numerale cum substantivo: *Tripectorus. V, 28.

δ) Substantivum cum adiectivo. — *Pennipotens II, 878, V, 789 pro subst. —

ε) Substantiva cum verbo. — *Fluctifragus I, 306. — *Silvifragus I, 276. — *Terriloquus I, 104: cf. *suavidicus IV, 180. — Barbiger V, 898, VI, 971. — Squamigeri I, 372, 378 pro subst.; Plin. 11, 37, 50 Ovid. M. 4, 716, cf. squamifer Sen. Med. 685 et Lucan.; squameus Verg., Ovid., Claud.; squamatus Tert. Apol. 21.; squamosus. — Glandifer V, 939, Cic. legg. I, 1, 2. — *Sensifer III, 240, 245, 272, 379, 924. — Frugiferens I, 3. — *Tabificus VI, 737 (Att. 421 tabificabilis), cf. largificus II, 627, cf. Pacuv. 414 Ribb. — *Vitigenus V, 15, VI,

1071: cf. *caecigenus II, 741 et primigenus II, 1106, Avien. Arat. 13. — Frugiparus VI, 1, Avien. semel. —

κ) Adiectiva cum verbis: suavidicus, caecigenus, largificus supra commemorata sunt. —

η) Numerale cum verbo: primigenus πρωτόγονος Avien. Arat. 13. cf. supra. —

C) Verba:

Analogiam quam in ceteris formationibus observavit, sequitur etiam in verbalibus. Sed harum vocum in structura non est, quin studium quoddam atque favorem facile deprehenderis. Quam maxime enim deditus est inchoativis et frequentativis non tam ob metri rationem, ut saepe dictum est, quam quia verba simplicia ei saepissime vim sententiarum non aequare viderentur. Non raro autem nulla alia in usu horum verborum causa adductus est, quam qua omnino permotus est in formatione verborum, nempe ut suffixis pro arbitrio uteretur. Exstant autem praeter alia XXVII inchoativa novata haec: albescere II, 773. Cic. acad. 4, 33, Plin. 10, 3, 4; Vergil. Aen. 4, 586; Georg. 1, 367. — Ardescere IV, 1090, Plin., Vergil., Ovidius. — Aegrescere IV, 333, Vergil., Plin. Tacitus. — Candescere I, 490, Ov. Trist. 1, 11, 43. Vitr. 79. — Clarescere I, 1116, V, 833, 1456. Tacit., Seneca, trag. Val. Flacc., Quint., Vergilius. — Ditescere IV, 1253, V. 1249, Hor. sat. II, 5. 10. — *Flammescere VI, 669. — *Generascere III, 744. — Gravescere VI, 337, Verg. Georg. 2, 429. — Plin. 11, 41, 96. — Tacit. A. 1, 5, 14, 51. — *Haerescere II, 477, VI, 742. — Hebescere III, 359, Sall. Cat. — Cic. Tusc. 1, 30; idem Catil. 1, 2; acad. 4, 2; Plin.; Tacit. — Languescere III, 1035, V, 769, Cicero, Catull., Vergil., Horat., Tacit.!, Quintilian. — Livescere III, 527. Claud. rapt. Pros. 3, 27. — Scrib. Comp. 181. — Mollescere V, 1014, Catull., Ovid. Plin. — Patescere V, 349, 614, Livius, Vergil., Plin., Tacit.; Cic. Phil. 14, 6 lectio est dubia. — Pinguescere V, 899, Columella, Verg., Plin. — *Sentiscere III, 392, IV, 586. — *Serescere I, 306. —

Spissescere VI, 176, semel Celsus V, 27, 4. — *Tardescere III, 478. — *Torrescere III, 890. — Tremescere VI, 548. Ovid., Verg., Statius. — Uvescere I, 306, Hor. serm. II, 6, 40. — Vigescere I, 674 (codd. omnes 'virescat'), 758. Catull. 46, 8. — Valescere I, 942, IV, 17. Tacitus. — Vivescere IV, 1138. Plinus. — Et composita. — *Aborisci V, 733. — *Renidescere II, 326. — Dilucescere V. 176. Cic. Catil. 3, 3. — Liv. 36, 24. — Inhorrescere VI, 1195, Pacuv. ap. Cic. Div. 1, 14. Curtius, Plin., Tacit, Quintil., Aurel. Vict. — Inveterascere IV, 1068, Cic. Tusc. 5, 14, Catil. 3, 11. — Caes. b. g. 2, 1 et 5, 40, — Nep. Att. 2. — Obbrutescere III, 545, Afran. ap. Fest. s. v. — Percalescere VI, 281, Ovid. —

b) *Frequentativa*: *clarigitare V, 947. — Fluitare III, 1052, IV, 442: Hor. epist. 1, 18, 110. Tacit. h. 2, 93 extr. Petron. sat. 123. Plinius Seneca Ag. 503, Med. 631. — Nominitare Vies, praeterea in inscr. ap. Mur. 1522, 2. — *Nixari III, 1001, IV, 506. — Et composita: circumvolitare II, 329 (pervolitare VI, 952), Hor. ep. 1, 3, 21. Verg. G. 1, 377. Tacitus hist. 2, 50. Sen. ira 8. Colum. praef. 1. Sil. 9, 240. — *Contractare II, 853, VI, 854. — *Disiectare II, 553, 562, III, 501. — *Discrepitare II, 1018, III, 803, VI, 1105. — Dissultare III, 395, 569. Verg. A. 8, 240, 12, 923. Plin. 37, 4, 15. Sil. 7, 143, 9, 607. — Offensare II, 1059, Livius 25, 37. Quint. 10, 7 m. — *Perfluctuare III, 721. — *Persectare IV, 1010. -- Reiectare II, 328, praeterea semel ap. Spart. Anton. 12. — *Transvolitare I, 356.

c) *cetera verba*: aegrere III, 836, Prisc. quoque 8 p. 826 (8.) hoc verbum agnoscit, sed nullo confirmat exmplo. — *Baubari V, 1070: 'et cum deserti baubantur in aedibus' (catuli) — quod attinet ad hanc vocem, vix credibile est Lucretium solum eam usurpasse, in communi potius usu fuisse, quamvis aliud exemplum non pervenerit ad nos, existimabimus. Mira nobis videtur sententia Quint. I, 5 extr.: 'ne balare quidem aut hinnire fortiter diceremus, nisi iudicio vetustatis

niterentur'. Lenius quid idem VIII, 6: 'ὀνοματοποιία quidem, id est fictio nominis, Graecis inter maximas habita virtutes, nobis vix permittitur. Et sunt plurima ita posita ab iis, qui sermonem primi fecerunt aptantes adfectibus vocem. Nam mugitus et sibilus inde venerunt'*). Et composita. — *Adopinari IV, 814. — *Ancidere III, 660. — — *Arefacere VI, 963. — *Assugere IV, 1190. — Cinefacere III, 906. — *Conlaxare VI, 233. — *Concruciari passim e. c. III. 148. — *Condensere I, 393. — *Condurare VI, 968. — *Confervefacere VI, 353. — *Decellere II, 219 e conj. Lachmanni. — *Deplecti V, 1321. — *Diluviare V, 387. — *Disserpere VI, 547. — *Egigni II, 703. — Inanire VI, 1004, 1023. Plinius. — *Intervomere VI, 895. — *Munificare II, 625 — *Obretire III, 385. — *Perfluctuare III, 721. — — *Perolere VI, 1154. — *Perplicare III, 394. — *Pertolerare V, 317. — *Pertorquere II, 401. — *Pervalere VI, 917, Lachm. scr. 'pervolat'. — *Praespargere V, 738. — *Rarefacere I, 648, II, 1139, III, 442, VI, 870. *Reconflari IV, 928. — *Redhalare VI, 523. — *Remanare IV, 636, V, 270.

C. Adverbia.

Iam primo obtutu oculorum intelligitur, Lucretium in formatione adverbiorum clausulam-ter in deliciis habere. Quod probatur his adverbiis:

Fluenter IV, 225, VI, 935: semel Appuleius. — *Genitaliter IV, 1254. — *Moderanter II, 1096. — *Vitaliter V, 146. — Et composita: *contrectabiliter IV, 662. — *Innumerabiliter V, 275. — Insatiabiliter III, 920, VI, 979: Plin., Lactant. — Insedabiliter VI, 1176 — *Permananter VI, 917. — *Praecipitanter III

---

*) Cf. die Sprachphilos. der Alten von Dr. L. Lersch III, p. 129.

1076. — *Praemetuenter IV, 825. — *Praeproperanter III, 780. — Atque adeo novavit duriter V, 1402, *longiter III, 676. — *uniter III, 839, 846; V, 537, 555, 558. — Quibus de formationibus cf. Prisc. 15, c. 3. —

Porro adverbia, quae exeunt in-im maximamque partem ad participia redeunt, exhibet non pauca, novata autem sunt haec. — *Blanditim II, 173: sed Lachmannus exhibuit: 'et res per Veneris blanditur saecla propagent' — *filatim II, 831. — Gravatim III, 388 Livius semel, Cicero gravate. — *Mixtim III, 565. — *Moderatim I, 324. cf. moderanter II, 1096 et admoderate II, 169. — *Propritim II, 975. pro proprie: nam adverbiis, quae exeunt in-e minus indulget. — Et compositum *adumbratim IV, 364. — Praeterea quae exeunt in-e: *horrifice II, 610, IV, 36. — Et composita: *admoderate II, 169. — *Consequë V, 679 Lachm. e coniectura. — Denique neutrum *perhilum VI, 576. —



Haec habui de Lucretiana verborum formatione quae dicerem. apparuit autem studium suffixorum, quibus radices vocum exornaret novaque verba proferret. Neque id studium ex arbitrio fluxit vel ex libidine quadam verborum novandorum. Immo vero egestas patrii sermonis eum coegit, ut verba adfingeret, ne argumenti magnitudinem tenuitate verborum diminueret atque depravaret. Adfinxit autem voces secundum leges analogiae*), cuius non unus solum tutor inter Romanos exstitit, cuiusque indolem a ratione non abhorrere grammaticorum principem scimus dixisse Varronem. Itaque supersedere possumus verbis Horatianis

'pictoribus atque poetis
quidlibet audendi semper fuit aequa potestas'

*) Cf. Godofredus Bernhardy quae dixit (hist. litt. lat. p. 480 ed. III): 'erst ietzt (scil. re critica diligentissime et acutissime tractata) werden Grammatik und Lexicon nicht mehr als ein Gemisch von Archaismus und Formlosigkeit erscheinen. —

afferendis, quippe quibus licentiam atque insolentiam excusari ist qui existimet. Nostrum enim potius est, adeo non obtrectare eius in linguam latinam meritis, ut admiremur eius sermonem, qui volvitur ut

'murmura magna minarum'

vehementerque agnoscamus, quanta verborum latinorum copia ex eius ingenio sumpserit incrementa.

VITA.

Gotthardus Fridericus Reinoldus Schubert fidei addictus evangelicae natus sum Servestae Anhaltinorum die XI. Septembris anno h. s. XXXXII. patre Guilelmo, matre Teresa e gente Schradereana. Matrem quidem carissimam praematura morte ereptam vehementer dolui semperque dolebo, patre autem optimo, qui munere sacro fungitur ad aedes Alslevienses, adhuc vivente laetor quam maxime. Litterarum primordiis ab ipso patre imbutus gymnasium, quod ductu Sintenis floruit atque floret, frequentavi. Quo ex gymnasio ineunte a. LXII. rite dimissus in academiam Gottingesem me contuli, ubi per tria semestria fructus sum scholis virorum doctissimorum Curtii, de Leutschii, Lotzii, Muelleri, Peipii, Ritteri, Sauppii. Inde Halas Saxonum adii. Qua in academia Bergkii, Bernhardyi, Blancii, Krameri scholis usus seminariis et philologico et paedagogico interfui sodalis ordinarius. Quibus viris omnibus ago gratias quam maximas, sed gratissima semper prosequar memoria Bergkium et Bernhardium quorum hic comitate et consilio summe de me est meritus, ille ut exercitationibus in societate Graeca institutis interessem, humanissime permisit.

Corrigenda.

P. 9 lin. 19 l. progressus.
— 11 — 24 — acquiescere.
— 12 — 30 — ve sua.
— 13 — 9 — perspicuitatem.
— — — 15 — fabae.
— 16 — 9 — χλαμύσ.
— — — 33 — et.
— 19 — 11 — itemque.

THESES.

I.

Errant qui in philologia linguarum vim hanc esse solam contendant, ut ad reliquas disciplinas viam aperiant.

II.

Lobeckium improbo, cum Euripidem Bacchas contra illius temporis rationalistas scripsisse contendit.

III.

In explicando Platonis Charm. p. 164 e Heindorfius vehementer errat.

IV.

Ars educandi, paedagogicen quam dicimus, experientia magis, quam doctrina nititur.

V.

Apud Pindarum Olymp. I, v. 32 (51) scribo: *ἐμμένει τοπολλάκις* (vulgo *ἔμμεναι*).

VI.

Apud Aeschyl. Pers. v. 165 coniicio: *ταῦτά μοι διπλῆ μέριμνα φραστὺς αἰὲν ἐν φρεσίν* (vulg. *ἄφραστος*).
